



2b. 15



10.
199

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCO-
FURTANÆ
CYRIACUS

HERDESIANUS
U. J. Doctor, & Pandectarum Prof. P.
Ad lamentabile funus

Quod
ANNULÆ FRITSCHIÆ

Puella amabilissima
Filiola suæ desideratissima
De celo tacta & exanimata,
Vir prudens & experiens

DN. CASPAR FRITSCHIUS

Reipubl. oppidanæ Senator, & Phar-
macopæus sollertissimus,

Cum lachrymis & suspirijs

Ad diem xvi. Kal. Quint.

Ducturus est.

Omnes & singulos Reipubl. literariæ cives
amanter invitat.

ANNO CHRISTI

—
CIS IO CXXII.

LITERIS HARTMANNIANIS.

REGIUM
FRANCORUM
COURT
ANNO DOMINI
MDCCLXXII
LITTERIS MARITIMIANIS



Quod ad speciem pulcerrimum, ad orna-
tum formosissimum, ad voluptatem amænissi-
mum semper habitum est anni tempus: id ipsum
nobis, hanc qui urbem incolimus, grave admo-
dum, & rebus ac fortunis nostris damnosum, & liberis
atq; alumniis luctuosum funestumq; sensimus. Quin-
que enim supra sex septimanas jam sunt dies: cū paul-
lò ante Solem occasum apertis cæli cataractis, nimbo-
rum vis effusa, & sine fine cadentes aquæ, intra muros
quidem urbis, quod exitum per canales & cloacas pu-
blicas non reperirent, regurgitantes in templorum adi-
tus, & cellas vinarias irruerunt: vina & potulenta alia
corruperant: in anteurbijs verò & continentibus ædifi-
cijs vineas, hortos, pomaria oblimarunt; ex vitibus
gemmas, ex arboribus flores & fruges novellas decusse-
runt: molendina non pauca funditus everterunt: ag-
geres perruerunt: vivaria subruerunt: nec his conten-
tæ, foeminam unam cum parvulâ prole in gurgites ab-
reptam, atq; ad saxa allisam peremerunt: adeoq; tristis
& miseranda rerum omnium facies fuit: multi ut vere
rentur,

grave ne rediret
seculum Pyrrhæ.

Ab eo tempore sex præterierant hebdomades: & ecce
illâ ipsâ quartâ feriâ, die nempe ab hoc quinto, eodē-
que solstitiali, intra tertiam & quartam à meridie ho-
ram, tonitrua fulmine permista audiebantur: quæ pri-
mo quidem ictu homines tam in urbe quàm extra eam,
terrebant: (quis enim ad tonitru & fulmen non concu-
titur? seu, ut Lucretij utar verbis,

cui non conrepunt membra pavore

A 2

fulmi-

fulminis, horrifona cum plagâ torrida tellus
contremit, & magnum percurrunt murmura cælum?)
altero verò florentis ætatis & utriusq; sexus homines,
forte fortunâ in jaculatorio campo à tempestate sese te-
cto vindicare cupientes, tres lædebant, duos exanima-
bant: cæteros ita externabant: ut non tam *διὰ πύρωσιν* seu
conflagrationem à Stoicis creditam metuerent: quàm
illum instare diem crederent: quo, ut cum Principe A-
postolorum loquar, cæli cum stridore præteribunt, ele-
menta æstuantia solventur, terraq; & quæ in eâ sunt,
opera exurentur. Hujus autem calamitatis causam si
quærimus: non inueniemus eam in Martis ante dies ali-
quot, aut Solis eo ipso die in domum Cancris ingressu:
nec in Planetarum coitu, aut in fausto siderum adspectu:
sed ut Samuel olim Propheta Judæis, qui spreto Dei im-
perio Regem more aliarum gentium postularant, per
tonitrua & imbres tēpore messis tritici, quod in Judæâ
insolens erat, magnum peccatū transgressionis, ut Gre-
gorij utar verbo, insinuabat: ita non est dubium, Deum
insolitis istis pluvijs & fulminum ictibus ante oculos
nobis ponere iram suam, quam sceleribus nostris & flag-
gitijs provocavimus. Verè enim jam

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Nam si quo tempore verbum Dei contemptu inter Chri-
stianos laboravit, & charitas inter homines refrixit: hoc
nostro certè laborat, & congelata, immò planè exstincta
est. Si quo unquam seculo opinio veritatem, malitia
virtutem, immanitas humanitatem, impietas Deum,
profligavit: hoc nostro profectò profligat: quo, cum
Poeta ut loquar

Omne in præcipiti vitium stat.

Non mirum igitur, si hisce & alijs, in quæ nos ingurgi-
tamus,

tamus, peccatis graviter Deus succensuit: si eadem inusti-
tatis imbribus & fulminum telis ultumivit, quæ non as-
flarunt solum homines & infuscarunt, sed etiam ictu
peremerunt. Nec tamen aut urbis hujus incolas, quod
malevoli criminabuntur, aut illos, quos de cælo tactos,
& vel læsos vel exstinctos dolemus, præ cæteris peccasse
putandum est: sed illud potius de sententiâ Domini &
Servatoris nostri statuendum; nisi in melius vitam re-
formaverimus, & à profanitate ad pietatem, à somno
ad vigiliam, à securitate ad cautionem & diligentiam, ab
iniquitate ad justiciam, à contumaciâ ad obedientiam
transierimus, omnes similiter perituros. Apud Roma-
nos olim, si qui fulminati esse dicerentur, Decemviri li-
bros fatales seu Sibyllinos adire & inspicere, ex ijsq;
prodigia procurare jubebantur. Quantò æquius erat
nos sacros adire libros; & ad eorum præscriptum piâ
precatone & seriâ vitæ emendatione Deum nobis ira-
tum placare. Sed quotusquisq; est, ista qui consideret,
& vanitati, luxui, fastui & delitijs hujus mundi renun-
ciet? Fulmine tangendos adeò hebetari, ut nec toni-
tru, nec profundos fragores alios persentiscere possint,
in Tagis Thusci observatum est libris: idq; in Ger-
manicis bellis, Juliano imperante, Severo, alias bellico-
sissimo Equitû Magistro, usu venisse legimus: qui acer-
prius & sollers fato urgente commacruit. Quid igitur de
secordiâ, securitate, *ἀναισθησία*, & stupiditate nostrâ aliud
judicandum est: quam gravissimas imminere nobis pœ-
nas, quas verbi sui contemptoribus, legû violatoribus,
veritatis cælestis roforibus & osoribus, mundi amatori-
bus Deus minatus est, & à refractarijs atq; impœniten-
tibus exigere solet. *Qui enim verax est in promittendo, Au-
gustini ut loquar verbis, verax etiam est in cōminando.* Atq;

hujus rei præsentem cladem nos admonere, persuasissimum nobis esse debet: nec minus illud, seriò Deum velle, ne nostris aut alienis tonitru, fulminis vé ictum imprecemur: quod hoc præsertim tempore ab imperità fieri plebe culà magno cum dolore experimur. Non enim irritæ esse, nec cassæ cædere tales solent diræ: quod Popeli I. Poloniae Principis inter alia docemur exemplo: qui cum subinde murium devorationem sibi suisq; imprecaretur, eo malo filium postea absumtum vidit & doluit. Sed hujusmodi saluberrimis admonitionibus ecclesiæ & scholæ quotidie personant: quas utinam nò auribus tantum juvenus accipiat, sed etiam in animum demittat: & exempla iræ divinæ subinde intueatur: & casus aliorum adversos subinde respiciat, ijsq; condoleat. Nos profectò, credo & vos, qui non è saxo sculpti, aut è robore dolati estis, ad miserationem inflectit, Viri prudentis & honorati, Dn. CASPARIS FRITSCHII, Reipubl. hujus Senatoris spectatissimi, & Pharmacopæi experientissimi, casus domesticus. Ejus enim cladis, quam nudius quintus importatam diximus, ne ipsum quidem expertè esse fata voluerunt: dum cælo missum fulmen, non modò in prædium ejus suburbanum venit, idq;, si vetus jus obtineret, bidental fecit; sed & filiolam natu maximam & primo-genitam ANNULAM tetigit, adussit, fuscavit, exanimavit. Grave certè vulnus paterno pectore inflicto! magnus, & vix consolabilis dolor iniustus! & hoc acerbior, quò & mortis genus in speciem horribilius; & filia Patri, dum in vivis erat, charior fuit. nec mirum. Amabilis enim & gratiosa erat puella: nempe, quod nomine præ se ferebat, id certis rerum factorumq; firmans eventis. In lucem hanc venerat anno post Christum natum M. DC. XI. ad diem XIII. Kal,

XIII. Kal. Novembris, cum jam noctis, ut Varro loquitur, meridies erat. Mox sacro sancto æternæ salutis fonte tincta, & in album filiorum Dei diviniq; fæderis adscripta est: pijsq; parentum & gestantium precibus Deo commendata. Cum primum fari cæpit, & rationis in eâ se exseruit usus: tam domi, quam in scholis puellaribus, quas cum lubentiâ & volentiâ frequentabat, precari, legere, scribere didicit: & procedente tempore pro captu, immò supra captum ætatis & sexus in pietate, probitate, & bonis moribus profecit: parentibus in omnibus morigerâ, in nullo refractaria: nec ipsa tantum in pijs precibus & cantilenis sacris assidua, sed sororencularum etiam hac in parte ductrix & magistra. In hoc honestatis & pietatis stadio dum indies majora spacia facit: & jam annum ætatis undecimum agit, nondum tamen absolvit: ecce eam circiter secundam horam domo in campum jaculatorium, Parentem cæterosq; sodales columbam funiculis vinctam, ut sacro hoc tempore apud nostrates mos est, arcu petentes spectatum egressam, & propter largum imbrem decidentem in paternum prædium, quod è regione erat, ingressam fulmen derepentetangit: eiq; nec opinanti tenellam animulâ è parvulo corpusculo extrudit. O nefastum diem, nec albo, sed atro lapillo signandum! ô horam infaustam! ô infelicem prædij ingressum! Quid agat tamen Parens moestissimus? aut cur luctu nimio se maceret, & sibi prius interitum accersat, quam filiæ reditum in has terras impetret, aut, quod factum est, infectum reddat? Est omninò, ut Seneca scripsit, *mors omnium par: et si media, per que venit, diversa sunt.* Alius inter canandum solvitur; alterius continuatur mors somno: ferro transfoditur ille, iste exanimatur serpentum morfu: alij aut ruinâ franguntur, aut naufragio pereunt,

eunt, aut fulmine percutiuntur, Aliquorū melior dici, aliquorū pe-
jor potest exitus: mors quidem omnium par, & nulla major, aut
minor est: habet enim eundem in omnibus modum, finisse vitam.
Magnum proinde sumat animum, Vir honoratissimus,
aut ægritudine recenti forte positum resumat: nec filio-
læ suæ, quam utpote Christo inscriptam, & in libro vitæ
inscriptam, & in manu Dei consignatam, & fatali die
instar oloris mortem prævidentis matutinam cantile-
nam devotè cum matre cantando, munere pietatis per-
functam, nec mors, nec vita, nec angeli, nec principatus
potestatesvè, neq; præsentia, neq; futura, neq; ulla res
alia creata à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domi-
no nostro separare potuit, exitum formidabilem, mor-
tem autem beatam sinisterius interpretetur: nec divinæ
voluntati, cujus judicia ignota nonnunquam, at nun-
quam sunt injusta, reluctetur: sed in eâ cum silentio ac-
quiescat: certâ spe fretus, filiulam hanc in die restituti-
onis omnium, illæsam sibi restitutum, omnesq; lachry-
mas ab oculis suis abstersum iri. Nos quoq; ut gravis-
simum Parentum lætum allevemus, & solatij aliquid
illis adferamus: nec aut malis aliorum lætari, quæ ex-
trema impietatis linea est; aut non cōmoveri, quæ ma-
xima inhumanitatis nota, videamur: ad exsequias ful-
guritæ puellæ, id quod Parentes unicè optant & expe-
runt, frequentes procedemus: & ad mortem, quæ sæpe
nec opinantes opprimit, bene nos præparabimus: &
quia, teste Augustino, haut facile male moritur, bene
qui vixit; ne male moriamur, bene vivere incipiemus
dicam? an pergemus. B. V.

M. C. N.

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700

Von 7

MC







Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

FOR
FRANCO-
NÆ
ACUS
ANUS
lectarum Prof. P.
ile funus
ITSCHIAE
ima
eratissima
exanimata,
experiens
RITSCHIUS
enator, & Phar-
rtissimus,
suspirijs
Quinct.
est.
ubl. literariæ civis
vitat.
RISTI
XXII.
ANNIANIS.

10.
199